

mitti. Timore verò Domini firmari. Quia per timorem Domini firmiter *fens. Bel-*
ac perseveranter homo stat, atque virtutibus ornatur. Est enim hominis cu-*larm. c. 6.*
stos Domini timor. Nam sine eo cum virtutum ædificium, tum vel maxi-
me conscientiæ pax subvertitur. Juxta illud. *Si non in timore Domini tenueris*
te instanter: citò subvertetur domus tua. Pòst proverbiorum autoritate gra-
tiæ certitudo stabilis atque immobilis manet. Quia ibi loquitur Spiritus
Sanctus de peccatoribus, in peccato perseverantibus: quibus nec nos gratiæ
certitudinem promittimus. Dicimus enim peccatorem pœnitentem, dolen-
tem, gementem atque in firmo proposito de cætero non peccandi perseveran-
tem esse certum de gratia Dei, certitudine fidei: Eique esse remissa peccata.
Quod & Hugo Cardinalis jam dudum ante Lutherum docuit. Ita enim scri-*Prov. 28.*
bit respondens ad objectionem suam. *Dicimus quod quilibet dignè pœnitens*
& in firmo proposito non peccandi de cætero persistens: si diceret mundum est cor me-
um: verum diceret, licet multæ peccata perpetraverit: quia uti dicit Beda super Lu-
cian capite quarto. Super illud, & statim demisit eam febris. Et super Marcum
capite primo idem dicit Glossa. Ubi etiam loquitur de Socru Simonis: Pius DEUS
pè pœnitentibus, aut non intellecta intelligere facit, aut non intellecta condonat. Un-
de & Glossa hic dicit: non dicit Salomon, quis habet mundum cor: qui a dicitur Matth.
quinto: Beati mundo corde. Et Psalmus, quis ascendet in montem Domini, &c.
Postea dicit: Innocens manibus & mundo corde. Reliquis deniq; testimoniis al-
legatis, & allegandis, aut docetur desperatio de justitia propria, & dignitate
operum: aut timor filialis agnoscens Dei judicium atque vindictam adver-
suspeccata: Ac injungitur pia sollicitudo de cavendis lapsibus contra conscienciam:
dubitatio verò nequaquam. Ita est teste doctorum aquila Augusti-
nino quædam illorum testimoniorum exponente. Ait enim ibi: videbunt justi
& timebunt. Quare timemus? quia dixit Apostolus: in timore & tremore vestram
ipsorum operamini salutem. Quia dictum est in Psalmo: Servite Domino in timore,
& exultate ei cum tremore. Quare cum timore? quia propter hoc, quod ait Apo-
stolus: quise putat stare, videat, ne cadat. Quare cum tremore? quia dicit alibi: Psal. 51.
fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliqua delicto: vos, qui spirituales estis, in-
struite hujusmodi in spiritu lenitatis: intendens te ipsum, ne & tu tenteris. Ergò
justi quisunt modò: qui vivunt ex fide: sic vident ipsum Doeg quid illi eventurum sit:
ut tamen timeant & sibi. Quid enim sunt hodiè, sciunt: quid cras futuri sint, ne-
sciunt.

Hæc cùm ita sint (Sapientissimi Auditores) timeamus, & caveamus: ne
in peccata contra conscientiam cadamus. Veruntamen de gratiæ certitudine
nequaquam dubitemus. Quia Deus hanc promisit, Filius Dei juravit, Spir-
itum Sanctum misit, quo & corda nostra ob-signavit. Maxima hæc quidem sunt
pignora. Non ea dimittet ille sempiternus sponsus pignora. Tùm demum
Sanctorum Patriarcharum exemplo hanc ipsam comprobavit. Non ergò ob-
liviscamur quæso tantum Deum promittentem, & cogitemus in nobis dubi-
tationem Deo recessentem. *Nam si Deus pro nobis, quis contra nos? quis accu-**Rom. 8.*
sabit adversus electos Dei? fragilitas carnis? afflictio corporis? anxietas men-
tis? apparatus mortis? Mors ipsa? Peccata præterita? Metus futurorum? Dra-
*conis occultæ insidiae? Diaboli inferorumq; horrenda monstra? inferni ipsi-
us supplicia? Nequaquam. Quia Deus justificat: quis est, qui condemnnet: ne-*
mo. Quapropter labefactet caro: premat corpus: Torqueat mentis cogita-
tio. Subnascantur querelæ, curæ, dissidentiæ, desperationes. Instet mors,
D
circundent